



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Variorum In Europa Itinerum Deliciæ**

**Chyträus, Nathan**

**[Herborn], 1599**

**VD16 C 2803**

Wirtebergensia. Tubingæ In Sepulcreto Ducumm Wirtebergensium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



## LIGNICII.

IN S. JOANNIS.

השביל וחיבריק חובים

**C**larissimus vir, Dn. Valentinus Fridland Trozendor-  
fius, pié decessit, VI. Kal. Maji,  $\text{C I } \text{O } \text{I } \text{O}$ . LVI. ætatis  
suæ LXVII.

*Tois πασιν χήσιμα εἶπεν.*



## WIRTEBERGENSIA.

TUBINGÆ IN SEPULCRETO

*Ducum Wirtebergenfium.*

**A**nno Domini M. CCCC. LIII. Illustriff. familiæ  
Wirtembergēfis Comes Ludovicus senior  $\text{I X. K L N S}$   
Octobris mortuus, qui in æde beatæ virginis ad bonum  
lapidem sepultus, á principe Christofero officiosæ piete-  
tis ergo Tubingam huc traductus est,

Eadem pietate & ratione huc quoque translata est D.  
Mechtildis Palatina Rheni ac Bavarix Dux, clariff. Ludo-  
vici senioris conjunx suavissima, quæ licet póst Alberto  
Austriaco nupsisset, defuncta tamen Heidelbergæ an. M.  
CCCC. LXXXII.  $\text{X I. K L N S}$ . Octob. evidentissimo sine-  
riamoris argumento illic cum priore marito, & eodem  
hic simul conditorio reponi placuit.

Illustrissimus & tam sapientia quàm honestate vir ex-  
celsus Princeps Eberhardus, Dei gratia primus Dux Wir-  
tembergensis & de Teck, Comes Montis Peligardi, funda-  
tor hujus scholæ. Obiit die S. Matthiæ Apostoli, anno Do-  
mini 1496.

IN

## IN LAPIDE.

⊙. K. L. N. Mar. anno M. C. C. C. C. X. C. V. I. Illustriss. pietate & prudentia Princeps Eberhardus Barbatus primus Dux Wirtemberg. & Teck, Montisq. Peligardi Comes, hujus scholæ fundator.

Illustrissimæ Principi ac Dominae, D. Annæ Duci Wirtemb. Ducis Uldrici & c. filiae dulciss. Quam benigna Dei manus ex ista fragili & caduca rerum humanarum conditione, ne diutius calamitosis & tumescētibus ærumnarum procellis misera quateretur, adolescentulam tenerr. atque in ipso blandissimo virginitatis flore An. Domini M. D. XXX. mens. Junii XXIX. ætatis verò ejus XVII. feliciter eripuit: huic, inquam, in hunc locum amœniss. ubi jam Carthusianorum latibula Auraci, cū illic an. XXIII. sepulta jacuisset, collaberentur, traductæ Illustriss. Dux Christoferus Dux Wirtemb. clementiss. unicæ sorori suæ dilectiss. ad perpetuam memoriam hic erigi voluit, Anno Domini M. D. LIIII.

## D. O. M. S.

Illustriss. Princeps Hulderichus Dux Wirtemberg. & Teck, Montisq. Peligardi Comes, dū inter mortales fuit, variis fortunæ procellis agitatus, & patria sua destitutus exilium xv. annis constanter tulit. qua tandem recuperata, sacrosanctum Christi Evangelium sincerè prædicari curavit, idololatriam comminuit, potentiam Antichristi debilitavit, laudabilem urbem hujus inclytæ Scholam restituit, doctis professoribus justis salariis & stipendiis, avitos secutus mores, illustravit, Remp. prudentia non vulgari, sicq; satis feliciter administravit, cujus gubernacula inter tot quoq; gravissimos Adversariorum insultus, ad extremum usq; vitæ suæ halitum, fortiter retinuit. Tandem Deo Opt. Max. finem ærumnis dante, spiritum cælo, reliquum verò mortalitatis suæ hoc deponi voluit conditorio. Regnavit ann. LII. mens. v. Vixit ann. LXIII. mens. VIII. dies XXVI. ⊙. Anno Christi M. D. L. mens. IXBRI. d. VI.

*Hoc lector potes astimare saxo,  
 Humani nihil esse non caducum,  
 Heroum quoniam tegit duorum  
 Ebrardi Ducis ossa, & Hulderici,  
 Ex iis alter erat bonis amandus,  
 Ex iis alter erat malis timendus,  
 Et dilectus uterq; valde Christo.  
 Corrupta tamen hic uterq; carne  
 Letho deposita, simul quiescunt.*

## CHRO

## CRUCIF. GLOR.

Memoriæ Illustrissimi Principis Ulrici Ducis de Wirtemberg. &c. infantis dilectiss. P. Qui vixit mens. I. I. d. r. O. an. Christi M. D. LVIII. mens. Julio, d. VII. cujus ossa VIII. ejusdem mensis, huc ad avita conditoria deposita sunt. V. C. V.

*Principis Ulrici potuisti tollere corpus  
 Invida mors, animam tollere nulla potes.  
 Scilicet hoc solo fuerat mortalis. At idem  
 Parte tamen vivit nobiliore sui.*

## D. O. M. S.

Ut omne natum caducitati subjectū, ita & eodem decreto, Illustriss. Princeps Maximilianus Dux Wirtemb. &c. Ann. salutis M. D. LVI. XXVII. die Augusti natus, mens. VI. dieb. XXII. superstes, infans dulciss. parentes optatæ vitæ desiderio privavit An. Christi M. D. LVII. mens. Mart. die XVII. Cujus ossa XIX. ejusdem mens. huc ad avita conditoria translata sunt.

Anno Domini M. D. LXIII. den XXX. tag Augusti starb die Durchleuchtig Hochgeborne Fürstin Fräw Elisabetha Herzogin zu Wirtemberg vnd Teck / Gräfin zu Mümpelgart / ein geborne Pfaltzgräfin beyrn Rhein / Herzogin obern vnd vndern Bayern / res alters LXXIII. jar / IIII. monat / VII. tag.

D. O.

D. O. M. S.

Illustrissimus Princeps Eberhardus Dux Wirtembergensis ac Teccensis, Comes Montis Peligardi, &c. Illustrissimorum ac Christianissimorum parentum Christophori Ducis Wirtembergensis, &c. Principis laudatissimi, & Annæ-Mariæ Marchionissæ ex clarissima familia Brandenburgensi, filius primogenitus, indolis egregiæ à primis annis piè ac liberaliter educatus, & literis institutus, sinceriorem religionem amavit, Antichristi idololatricas superstitiones, atq; omnes fanaticas opiniones detestatus est. Parentes digna pietate coluit, in fratrem & sorores germanas benè affectus, & pro ætate rara gravitate præditus fuit, ita ut maximis rebus natus videretur. Eum immatura morte abreptum parentes lugent, provinciales desolent. Anima Christo, reliquiæ his monumentis commendatæ sunt. Vixit annos XXIII. menses III. dies XXVI. Vita functus est ann. M. D. LXVIII. mensis Maji die II.

*Majorum meritò sacris sepulcris  
Ebrardi ducis inferuntur ossa,  
Barbati veteris gerit celebre  
Nomen. si modò longior daretur  
Ætas, mox similis futurus illi  
Justo, pacifico, gravi, disertò.  
Herois referebat Hulderici  
Primis ingenium nepos ab annis,  
Par magnis animis arvo futurus,  
Ni vita spatium Deus negasset.  
Ambobus pietate junctus, unâ  
Vita jam fruitur beatiore. B.B.F.*

IN LAPIDE.

Sub hoc saxo requiescit Eberhardus Dux Wirtemb. & Teck, Comes Montis Peligardi. Obiit die II. mensis Maji, anno salutis M. D. LXVIII. Vixit annos XXIII. menses III. dies XXVI.

D. O. M. S.

Illustrissimus Princeps veré Christophorus Dux Wirtembergensis & Teccensis, Comes Montis Peligardi, &c. á puero variis casibus jactatus, literis excultus, exterospertus, linguarum peritus, experientia clarus, periculis infractus, bello strenuus, imperio justus, cõsiliis prudens, pacificus, orator gravis, ecclesiæ nutricius, hæresium & idololatriæ hostis, studiorum Mæcenas, exulum asylum, virtutis theatrum, pietatis exemplum, pater patriæ, infinitis laboribus exhaustus, ac placidè in Domino obdormiens, corporis reliquias hoc conditorio, quod vivus sibi adornarat, deponi voluit. Earum optatam resurrectione beata anima cum Christo vivens, expectat. Memoria tanti Herois apud omnem posteritatem sacrosancta erit. Vixit annos LIII. menses VII. dies XVI. Regnavit annos XVIII. menses VII. dies XXI. Obiit anno Domini M. D. LXXVIII. die XXVIII. mens. XBR.

*Wirtembergiaca domus decorum  
Princeps Christophorus sub hoc sepulchro  
Ut terra sua reddat ossa matri,  
Calesti quoq; spiritum parenti  
Sic Christo mediante consecravit,  
Non regno patrio sed exterorum  
Succrevit puer, exulante patre,  
Magni Caesaris est secutus aulas  
Et regum, teneris Ephemus annis  
Mox Martis juvenis capessit arma,  
Ductis ordinibus triumphat heros,  
Bis sex pignora suscipit maritus,  
Curis canus avus fit & senectæ,  
Magnam justitia tulitq; laudem  
Dum rexit populos, deditq; jura,  
Optatam coluit, ferendo, pacem,  
Lites composuit, sopivit iras,  
Illi Ecclesiæ maxima piaq;  
Cura vera, fuit, fidesq; cordi,  
Idolæ inimicus, hostis acer  
Damnatis simulantibusq; sectis,*

*Mæcenas*

*Meccenas studiis & eruditis  
Linguis fautor erat, scholis patronus,  
Natura ingeniosus, arte doctus,  
Orator bonus, aptus & trilinguis,  
Prudens, sobrius atq; liberalis,  
Plures Herculeis ferens labores  
Dignus qui imperio fuisset orbis,  
Hunc patrem patriæ fatetur atas  
Præfens, posteritas fatebiturq;  
Wirtembergiæ domus decorum.*

## IN LAPIDE.

Sub hoc saxo requiescit Christophorus Dux Wirtembergæ & Teck, Comes Montis Peligardi. Obiit die xxviii. mensis Decembr. anno salutis M. D. Lxviii. ætatis veró suæ LIII.

Illustrissima Princeps & Domina D. Eva Christiana Wirtembergæ, Montisq; Peligardi Comitissa, Georgii ex Barbara Hassiæ Landgravina filia, sub hoc conditorio quiescit, animam veró Deo reddidit III. Kl. April. anno M. D. Lxxv. cum vixisset ann. xvi. mens. v. dies xv.



## WEIMARIAE.

## ELOGIUM JOHANNI FRID.

*Electori, ut ajunt, positum.*

Joannes Fridericus, Dei grãtia electus martyr Jesu Christi: Dux afflictorum: Princeps confessorum fidei: Comes veritatis: Signifer sanctæ crucis: Exemplum patientiæ & constantiæ: hæres vitæ æternæ. Obdormiscens in Christo, migravit ex hac miserima vita in cælestem patriam. Vinaris mense Martio. Anno

M. D. LIY.